

item *Augustales* (n. 1147—1150) sive *Augustales Claudiales* (n. 1146. 1151). — Tribus Abellinatium Galeria fuit testibus titulis infra relatis compluribus.

Abellinum antiquum fuisse non ibi, ubi nunc est oppidum hodie florens nominis heres, sed M fere passibus inde ad orientem in loco dicta *la Civita Atripalda* proximo, rudera adhuc conspicua ostendunt. Ager quo pervenerit, parum constat; nos vol. IX p. 91 seq. cum inter titulos territoriorum Compsinorum et Aeclanensium exhibuerimus qui inventi sunt Leoni, Nusco, Montemarano, Monte Falcione, Pratae, iam inter Abellinates locum dedimus praeter ipsos Atripaldenses iis qui prodierunt in oppidis vicisve Montella, Serino, Montorio (ubi qui emergerunt tituli publici Abellinates, medio aevo eo deducti esse videntur), Ajello, Monteforte, Mercogliano, Preturo, Mugnano, Capriglia, S. Angelo alla Scala.

Iam recensebimus auctores.

I. Saec. XV et XVI Abellini et regionis vicinae titulos rettulerunt IV-CVNDVS (n. 1135. 1168); is qui scripsit codicem MARVCELLIANVM A. 79. 1, a quo descripti cum pervenerint ad MANVTIVM, ex parte per eum innotuerunt; Simon VALLAMBERTVS apud METELLVM cod. Vat. 6039; Fabius GIORDANVS in historia Neapolitana ms.; SCALIGER in codice Papenbroekiano itemque ROMIEU in collectaneis Arelatensibus, qui duo ab eodem auctore pendent. — Praeterea 'marmora Montori reperta Aprilis XXV a. Chr. MDXLII in comitis domum invecata' (sic Vallambertus), 'marmi ritrovati in Montoro a' 25 di Aprile del MDXXXII' (sic Waelscappe), 'marmora reperta prope Neapolim Montori' (sic Budaeus) leguntur apud VALLAMBERTVM (Metellus cod. Vat. 6039 f. 364'), BVDAEVM (ibidem f. 353), WAELSCAPPLIVM (cod. f. 102). Eadem norunt etiam PANVINIVS et GIORDANVS. — LIGORIVS Abellinates titulos duos commentus est.

II. Ad Henrici BACCH descriptionis regni Neapolitani editionem repetitam apud Graevium et Burmannum thes. tom. IX parte 4 Abellinatia quaedam adiecta sunt a Caesare D'ENGENIO qui praefationi subscripsit a. 1622. Italiam editionem, quam editor ait prodiisse Neapoli a. 1629, non repperi; nam eodem anno locoque impressa quam mea causa inspexit de Petra (*Nuova descrizione del Regno di Napoli . . . descritta prima da Enrico Bacco et in questa ultima impressione da Gio. Pietro Rossi*. Neapoli 1629. 8) additamentis Engenianis caret. — Syllogem parvam, sed ad ipsa marmora non indiligenter factam, quam d. 24 Mai. 1644 (?) Franciscus VERDEROSA episcopo Nuscensi misit, servavit codex Barberinianus XXX, 136 f. 5—16. — Iustum titulorum numerum congessit primus frater Scipio BELLA BONA (*ragguaglio della città di Avellino*. Trani 1656. 4. pp. 319) vir diligentiae supra eam aetatem eminentis, ad cuius exempla in multis titulis nobis redeundum fuit; nam ab eo potissimum posteriores pendent. Eiusdem commentariis scriptis de *Avellino sacro* inde ab a. 1643 ad editionem paratis (extant Neapoli in bibliotheca publica cod. X. D. 22) usus est Franchius (v. eius librum p. 197 et hic n. 1192). Eieci aliquot titulos sua na-

tura suspectos apud Bellabonam relatos; a fraudibus enim, quales haec sunt, vix ullus huius ordinis scriptor immunis mansit.

III. Matthaeus AEGYPTIVS ex Abellino quae habuit epigrammata inedita, eorum nobis reliquiae tantum remanserunt, scilicet n. 1151, quod communicavit cum amico Germano et FABRETTIO quoque subministravit (itaque etiam n. 1129 Fabrettius fortasse ab Aegypto accepit); item n. 1136 quod prodiit in opusculis eius; denique n. 1125, quod continetur in appendice ab Aegypto adiecta ad librum Francisci DE FRANCHIS (*Avellino illustrata da' santi e santuarj*. Neapoli 1709. 4. pp. 616 et *Giunta* sine anno pp. 38). Inedita haec accepit fortasse a Philippo BELLI (cf. adn. ad n. 1125), quem Aeclanensia ei misisse alibi (vol. IX p. 99) rettulimus; quamquam quod legitur in epistula Belli ad Aegyptium adhuc servata n. 1177 (cf. n. 1160) cum a Bellio inter Aeclanensia referatur, deinde autem extiterit in domo eius Abellini, dubium est, utrum in loco erraverit Bellius an Aeclano Abellinum saxum transulerit. Certe Bellius is commentarios de rebus Atripaldensibus scriptos reliquit, quos adhibuerunt is qui supplevit Barberium et Pionatius (2, 72). Praeterea quae leguntur tam in appendice Aegyptiana ad Franchii librum quam apud ipsum Franchium expilata sunt ex Bellabonianis. — MVRA-TORIO quas Comus misit inscriptiones Abellinates omnes descriptae sunt ex Bellabona; nisi quod inter eas insinuavit se errore Vibonensis quam supra n. 58 dedimus. — D'ORVILLE item in Siculis p. 600 inscriptiones Abellinates ex Bellabona fere et Franchio repetivit, una addita antea ignota n. 1150. — Utilior fuit Sabini BARBERII liber rarissimus (*diss. critico-storica del Tripaldo e suo celebre santuario*. Neapoli 1778. 8.), cuius usus sum inter alia exemplo bibliothecae publicae Neapolitanae correcto a manu antiqua et perita aliisque titulis aucto. Adhibuit supplementorum eorum auctor commentarios ms. Bellianos. — LVPOLI in itinere Venusino 1793 p. 43 seq. more suo compilavit priores, Bellabonam praesertim et Barberium, cuius sunt fere tituli ii quos ineditos esse ait paucis adiectis vere antea non publicatis. — Nic. Maria MANSI (*critiche riflessioni sulla vita e morte di S. Modestino, S. Fortunato e S. Flaviano tutelari della terra di Mercogliano*. Neapoli 1793. 8.) aliquot titulos Mercoglianenses protulit petitos fere ex nescio cuius historia Mercogliani ms.

IV. Seraphinus PIONATI (*ricerche sull' istoria di Avellino*. Voll. 1—4. Neapoli 1828. 1829. 12.) quod compilavit qui ante eum de Abellino scripserunt, in his etiam Philippi Belli commentarios ms. et mihi quoque visa supplementa scripta ad Barberium, facile ferremus, modo ne quae ipse addidit incredibili socordia et descripsisset et edidisset et monstra plerumque quae sanari nullo modo possunt pro titulis Latinis proposuisset. Eadem ex parte exempla repperi inter schedas a STEIN-BVECHELIO (v. vol. III p. XXXIII) Gratzii mecum communicatas a typothetae certe sphalmatis immunia.

Ipsae et olim et nuper tam Avellinum adii quam Atripaldam lapidesque quos videre potui descripsi. Advenerunt eodem ex amicis meis ii quos infra nominavi.

1113 tabula aenea reperta in Hirpinis, ex Abellino dono Mariani Montefusco delata Neapolim ad Raimundum Guarinium.

intus: tabella prior.

. . . . .  
 . . . . . I . AVF  
 . . . . . II . PPR  
 . . . . . ANPI . FFI  
 . . . . . III . PPP

extrinsecus: tabella prior.

. . . . .  
 . . . . . M . . . . . V . . . . . MED . AEG . . . . .  
 M . AVR . VAL . MAXIMIAN . GERM . . . . .  
 SARM . V . ARM . II . MED . M . AR . M . . . . .  
 . . . . . VAL . CONSTANTI . V . FI . . . . . G . VAL . MAX . . . . .  
 . . . . . R . MARM . CARM . V . AR . M . MED . M . . . . . 5  
 . . . . . N . . . . . IN . MILIT . QVI . MILITAVER . . . . .

Servavit Guarini nov. mon. eclanesi (Neap. 1824) p. 16. Repetiverunt inde et alii qui diplomata collegerunt et ego vol. III p. 900.

Partem interiorem eam dixi, in qua more consueto versus exarati fuerunt transverse (*scritto per traverso* etiam Guarinius his praescribit) et laxius. Ex utroque exemplo quae supersunt videntur pertinuisse ad constitutionis

exordium. Partis interioris exiguae et corruptae reliquiae certam restitutionem non recipiunt; cogitavi de supplementis eiusmodi: . . . . . [Dioclet]ian[us] . . . . . [tr. pot.] . . . . . II p(ater) p(atriciae) p(roconsul) . . . . . [Maximi]an(us) Pi(us) Fel(ix) . . . . . [tr. pot.] . . . . . III p(ater) p(atriciae) p(roconsul). In parte exteriori, quae, si interior vere ad illum modum scripta fuit, similem magis quam eandem scripturam habuit, fuisse putarim sic: [Imperatores Caesares Pii Felices invicti Augusti pontifices maximi et nobilissimi Caesares C. Aurelius Valerius Diocletianus Germ(anicus) . . . . ., [Sarm(aticus)] V[er]i?, Arm(enicus) II,] Med(icus) [m(aximus), Ad(iabenicus) m(aximus) et] M. Aur(elius) Val(erius) Max(imianus) Germ(anicus) . . . . ., Sarm(aticus) V, Arm(enicus) II, Med(icus) m(aximus), Ad(iabenicus)] m(aximus) [et Fl(avius)] Val(erius) Constanti[us] et] G(alerius) Val(erius) Max(imianus) Germ(anicus) . . . . ., S]arm(atici) V(?), Ar(meniaci) m(aximi), Med(ici) m(aximi), [Adiabeni] maximi]. N[om]in(a) milit(um) qui militaver(unt) . . . . . Cur absint nomina Persicorum Britannicorum Carpicorum maximorum, non magis scio quam numerorum rationem reddere possum, quamquam hoc apparet edicto Diocletiani (v. vol. III p. 824) hanc constitutionem posteriorem esse.